



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber De Prvdentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. XXII. Hortatur ad perseuerantiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

munt, ne ad me respirare possit. Væ illis, quam stultè agunt, quàm grauitè sibi nocent, quantis opibus, & solatijs seipsos priuant, quàm inhumanè me solum relinquunt. Felices illi, quorum hæreditas melle dulciór conuersatio mea est, & omne opus eorum oratio: Hæc sit, dulcissimi filij, hæreditas vestra: & in abscondito amplectar vos, quasi fidelissimos amicos meos.

## CAP. XXII.

*Hortatur ad perseuerantiam:*

**O**MNE pietatis studium, ô filij, sine perseuerantia inane est, cum ad æternitatem non proficiat. Propterea, cum essem apud vos, perseuerantiam sepe prædicaui, cum scirem, eos qui mittunt manum ad aratrum, & respiciunt retro, non peruenturos ad coronam. Utinam caperetis verbum hoc, & usquè ad vitæ finem, in vijs iustitiæ ambularetis. Frustra enim benè cæpistis, si in media via deficiatis. Mirum est, quâta sit hominum stultitia, qui cum è seruitute Pharaonis liberati, & per desertum mortalis vitæ, ferè ad por-

ra terræ uiuentium ducti fuerint, labore modico, qui superest, deterrentur, & ad Aegyptum redire constituunt. Quid est hoc? Sic stulti sunt, ut cum spiritu caperint, carne consummentur? Tanta passi sunt sine causa? O Insensati Adæ filij, quis vos fascinoit? Currebatis benè ad coronam immortalem, nunc vero alius uestram coronam accipiet. Ablatum est à uobis regnum Dei, ob ingratitudinem & inconstantiam uestram, & dabitur genti facienti dulcissimos fructus eius. Parum laboris supererat, ut ascenderetis in palmam, & colligeretis fructus eius, quibus in æternum uesceremini. Vano consilio seducti estis, & transactos labores eneruatis. Vos ergo, filij, qui puro corde accessistis ad me, & cognouistis rectas uias meas, estote fideles usque ad mortem, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Virum iniustum funibus peccatorum constrictum mala capiant in interitu: uos uero filios meos, qui me sequi cepistis, morientes sequantur bona opera uestra, & in osculo

osculo pacis amantissimè claudam e-  
go oculos vestros. Citò transit, quod  
currit in tempore: modicum est, quod  
superuicturi estis. Ego vos protegam,  
& dulcissima societate recreabo in  
hac molesta nauigatione, donec dedu-  
cam vos in portum voluntatis vestræ,  
ac meæ. Bonum certamen certate, be-  
nè captum cursum consummate: & de  
labore fessi, fruemini aura spiritus vi-  
talis mei, qui perflat hortos pensiles  
suauissimæ Sion, quam dilexi. Aspici-  
te à longè amantatem regionis, in quam  
ascenditis, circumeuntes terram E-  
dom, & ad purissimas Iordanis aquas è  
fiti deserti, suspirate. Ego suscipiam  
vos fideles seruos meos: & de capite A-  
mana, vbi feræ habitant, surgentes hu-  
manissimè complectar: & æterno a-  
more consolabor. Hęc sit perennis me-  
ditatio vestra, suspirijs, & gemitibus  
voces turturis imitantibus plena; do-  
nec liberati de corpore mortis huius,  
quæ per peccatum introiuit, & regna-  
uit, gratiæ meæ decorem induti, im-  
mortale regnū immēsis diuitijs, & in-

æstimabilibus gaudijs plenum, gloriosa victoria, & infinita lætitia compareris.

## CAP. XXIII.

*Hortatur ad custodiam, & augmentum virtutum.*

**C**A V E T E, filij, ne vulpes parvæ, quæ demoliuntur vineas, prouentum vinearum vestrarum, quas multo labore coluistis, impediant. Ne contemnatis minima, neque animi remissioni locum detis: habetis enim pretiosissimum thesaurum gratiæ, & virtutum, in vasis fictilibus corporum mortalium: & in vobis ipsis geritis, vnde certamina periculosa toleretis. Væ illis, qui cum rubore, ac sudore arduas virtutes, in schola mea compararunt, & quasi de victoria securi dormire incipiunt. Non est consiliū sanum, securè dormire, vbi fures effodiunt, & furantur. Sanius consilium est, quod dederunt pastores illi, qui in nocte natalis mei, erant vigilantes, & custodientes, vigiliis noctis, super gregem suum. Certè mirabile est, homines super  
greges